



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XLIV. De Actote Judicium Ordinarium eligente, Summariô neglectô.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)



LIBER II
DECRETALIUM GREGORII PAPAE
IX.

TITULUS I.
De Judiciis.

DECISIO XLIV.

De Actore, qui neglecto Summario elegit Judicium
Ordinarium.

SPECIES FACTI.

COrbinianus Civis prætendit debi-
tum 800. florenorum satis li-
quidum à Chiliano uxorio suo, seu
uxoris fratre, ac instituto Processu
ordinario aliquot articulos positionales
formavit & exhibuit. Quibus cum
respondere negando non auderet Chi-

lianus, manus verò dare & solve-
re nollet, exceptionem opposuit contra
Processus formam, dicens, in
causa non *Ordinarium*, sed *Summari-
um* Judicium sibi locum vindicare. Unde
ad hanc exceptionem elidendam de-
fenditur



QUÆSTIO.

An in Potestate Actoris sit eligere Ordinarium pro Summario Processu, quando causa est talis ut in utroque disceptari possit?

Chiliani per suum Advocatum id ei concedere nullatenus voluit ex his causis. I. quia partes Rei sunt favorabiliores, quàm Actoris. *l. 125. ff. de R. J.* ergo non in electione Actoris, sed Rei potius esse debet, an Ordinarium vel Summarium Judicium sit instituendum. II. Quia in potestate Actoris esse non debet pro libitu Reum fatigare diutius: ergo nec eligere Processum Ordinarium, cum iste sit productior, & ex diuturnitate temporis, quod longè majus exigit Ordinarium, quàm Summarium, Reo molestior. III. Quia tam de Jure Auth. *Nisi breves C. de Sententiis ex peric.* quam de consuetudine debent causæ leviores expediri in Summario, nec integrum est eas ad Ordinarium deducere: sed causa, in qua conventus est Chilianus, inter leviores referenda est: ergo. Sed, si non frivola, saltem inefficacia sunt hæc ad declinandum Judicium Ordinarium, adeoque attendenda non sunt exceptio Chiliani; cum partes Actoris ab initio litis sint favorabiliores quàm Rei, in tantum nempe, ut penes Actorem sit eligere Judicem, actionem & remedium, si nimirum Reus plures habeat Judices competentes, si Actor plures actiones & re-

media, ut est indubitati Juris ex *l. si idem ff. de Jurisd.* cur ergo non etiam sit in arbitrio Actoris eligere formam Processus, hoc vel illud Judicium, Ordinarium vel Summarium? Id certè Jura nullibi prohibent, & DD. communiter id ei concedunt, sicut in Actoris arbitrio est Judicium vel Possessorium vel Petitorium instituere, si utroque experiri possit. *per c. 5. & Clem. un. de caus. possess. & propr.* ibique DD.

Opposita nihil faceffunt negotiis: Non primum; quia id verum duntaxat est in fine litis, ita ut Actore non probante Reus sit absolvendus. *l. 4. C. de Edendo. c. fin. de Jurejur.* initio autem & quoad ingressum litis partes Actoris sunt favorabiliores juxta omnes. Non secundum, quia in favorem Actoris introductum est, ut arripiat hoc vel illud Judicium, si & hoc & illud patiatur materia litis, præsertim si agatur de eligendo Ordinario. *Carpov. in Jurisprud. For. p. 1. const. 2. Def. 18. n. 2.* sed favori pro se principaliter introducto quilibet renuntiare potest. *c. 12. de for. comp.* Et inepta est præsumptio, quod Actor eligat Ordinarium Processum, ut diutius vexet Reum, cum vel maximè interfit Actoris, ut, quod

quod præterdit, breviori viâ & quam citissimè consequatur. Anton. Faber in *Cod. l. 9. Tit. 22.* ex alia proin causa, puta ut ex accuratiori discussione, quæ adhibetur in Processu Ordinario, suum Jus magis elucescat, & ipse postea securior sit ab ulteriori vexa, elegisse censendus est Ordinarius. Non *tertium*; quia universaliter verum non est, quòd Jura id præcipiant; cum potius omnes causæ de Jure Civili (aliud est de Jure Canonico) per se sint Ordinariæ, seu plenam cognitionem in Processu Ordinario exigentes. *Gloss. in l. 3. §. 11. ff. ad exhibendum.* Neque vi consuetudinis causæ leviores necessariò ubique proponi debent in Summario, & tractari summariter. Certè Jus Bavaricum *tit. 1. art. 3. Summarii Process.* sustulit differentiam inter causas graviores & leviores; cum dederit Actori electionem. Deinde causa præsens non est inter leviores reponenda, cum sit circa 800. florenos, quæ summa inter cives planè notabilis est. Manet igitur verum, quòd penes Actorem stet etiam in causis, quæ Summarie tractari possunt (quales sunt causæ favorabiles, uti alimentorum & paratarum executionem habentes, atque extra Cameram Imperii omnes aliæ ferè ubique locorum propter celerem litium expeditionem. Mathias Kautt in *Processu Judiciar. §. 3. n. 3.*) intentare Ordinarium seu plenarium Judicium; licet non ubique vicissim permittatur instituere Summarium, si causa est Ordinaria, seu gravioris mo-

menti & plenarium Judicium exigens (saltem extra Bavariam propter *tit. 1. art. 3.* dispositionem.) *Cap. lo. cit.* At hinc

Quæres, an liceat post institutum semel Ordinarium Judicium rursus redire ad Summarium? vel vicissim Summarium ad Ordinarium? R. I. M. tuo utriusque partis consensu utrumque fieri posse, non videtur abnondum; quia, sicut Partibus liberum est iudicio contendere vel non, ita forma Processus, qua contendere vel non iis libera esse debet; cum Ordinaria & Summaria ipsis à Jure indulgentur. R. II. Idem dicendum, si lis nondum sit contestata, vel aliquid, quòd in Judicio Summario habetur loco contestationis (uti partis adversa traditio, vel actus ille, qui in Judicio Ordinario solet sublequi ipsius contestationem, nempe exhibitionum seu articulorum, et meritorum causæ disputatio,) nondum sit secutum; quia ante litem contestationem, vel quod ejus loco habetur Judicium strictè nondum est conceptum, sed res adhuc integra, & tantum præparatoria litem facta. R. III. Reo non est licitum invito Actore Judicium mutare, vel hujus formam; cum hanc eligere sit Actori concessum, ut vidimus, consequenter & eidem insistere. R. IV. Neque Actori permittitur est invitò Reo ab Ordinario transire ad Summarium; quia absurdum est à Judicio perfectiori ad imperfectius transire vel regredi, & per solennem litem contestationem, quæ sit

in Processu ordinario, partes se obligant quasi contractu, quòd parte adversa invita litem deferere, vel Judicium mutare non velint. R. V. Spectato Jure communi pariter non videtur permissum Aetori à Summario regressum facere ad Ordinarium invidio Reò, & nondum finitò Summario, quia variationes in Jure sunt odiosae, & mutatà formà Judicii propè interimitur ejus Substantia. arg. l. Julianus §. f. ad Exhibendum. Dixi, nondum finitò Summario, si enim finitum jam est, videtur utrique parti, sine appellatione ad superiorem Judicem, Ordinarium inchoare, ut reparare possit per exactiorem modum procedendi, quod in priori Judicio per viam brevioris fore neglectum est. R. VI. Spectato tamen Jure Bavarico art. 3. cit. etiam durante adhuc Processu Summario licitum est Aetori Ordinarium ingredi, si tunc concurrant. I. si processus Summarius non sit serè ad finem perductus (schier gar zu End gelassen.) h. e. ut explicat egregius Commentator in Jus Bavaricum Cancellarius Schmid, quando vel jam est conclusum in causa, & submissio ad sententiam facta, vel quando sine prævîâ conclusione aut submissione res in eo est statu, ut sententia ferri possit, v. g. quando productorum numerus est completus, vel productæ sunt quatuor Scripturæ, quæ, si Summarium instituitur in scripto, & non oretenus (nam utroque modo institui potest) perquamque in Summario admittuntur: nempe libellus Aetoris: exceptiones (R. P. Nibler Decisiones)

Rei: Replica: Duplica; vel quando in Processu probatorio partes sua producta, ut vocant, deductoria, Refutatoria, & conclusiva (ihre Deduction-Refutation- und Conclusion-Schriften) actualiter ad Judicium obtulerunt: vel quando Judex invenit causam prius sufficienter instructam, ita ut statim post Replicam feratur sententia, prout sæpius contingit. II. Si Aetor, qui mutare Judicium intendit, nova adminicula invenerit, prius ignorata. III. & quidem talia, ut naturam actionis prius institutæ immutent. Hæc tria si concurrant, potest Aetor mutata actione novum Judicium instituere, illudque ab initio inchoare, atque loco Summarii Ordinarium Processum eligere, licet non teneatur Ordinarium eligere, sed possit novum Summarium reassumere, & quidem antequam facta sit executio, ac intra annum & diem. Jus Bav. Sum. Processu a. 2. tit. 10. §. a. fin. tit. 11. R. denique VII. Quotiescunque Aetor mutat Judicium vel novam actionem instituit, præstare tenetur alteri parti expensas, in priori processu factas, prævia Judicis taxatione, qui sine harum refusione non admittet ad novum Processum; ne scilicet pars altera ex vacillatione Aetoris, vel alterius partis, damnum incurrat.

Notandum, quòd, licet in Judicio Summario levato, ut ajunt, velò, h. e. absque strepitu, figura, & solennitatibus Judicii procedatur de plano, & sola veritate inspecta, nihilominus tamen substantialia processûs, Jure

G g

Natu-

Naturali vel Gentium inducta, omitti nequeant, consequenter aliqualis facti narratio & petitio Actoris, responsio Rei, probationes, exceptiones, & causa cognitio intervenire debeant,

imò & dilationes concedi, licet tantum ad Judicis arbitrium, atque testium sub Juramento, si litigantes exigantur examinari. Carpov. *Definit.* 17. *capit.* *Clem. 2. de V. S.*

TITULUS II.

De Foro competente.

DECISIO XLV.

De excipiente contra forum, ad quod ratione citationis hæreditatis, & rei sitæ &c. exterus adstringi à quodam volebat.

SPECIES FACTI.

Godefridus, Garibaldi gener, præter ordinariam 3000. florenorum dotem, quam singulis tribus filiabus suis æqualem constituerat Garibaldus, insuper 1000. florenos accepit, ea tamen lege, ut eos post obitum Garibaldi conferat in hæreditate, & de hac nihil participet, donec reliqui duo generi, Adrianus & Udalricus, tantundem, nempe 1000. florenos anticipatò acceperint. Morte igitur fœceri secuta Godefridus promptissimè Dominis cohæredibus, Adriano & Udalrico, se obtulit ad collationem secundum Testatoris voluntatem & Jura collationum faciendam, para-

tus nihil de massa hæreditatis capere, donec singuli ex dictis cohæredibus traxissent prius 1000. florenos, nisi mallet, suos mille anticipatò acceptos in parata pecunia cumulo hæreditatis adjicere, ac potestatem æquales cum illis portiones recipere. Verùm irritus à reliquis duobus cohæredibus tanquam simplex, & Jurium de collationibus imperitus, suos mille jussus est conferre hoc modo, ut nimirum sineret totidem, nempe pariter mille ex massa hæreditatis à reliquis duobus junctim & collectim sumi, non à quolibet seorsim & singillatim. Restitit optimus Godefridus, utpo-